


DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Martii anni M. DCC. XXXV.

M. JOANNE-FRANCISCO LEAULTÉ,
Chirurgiæ Gallico-idiomate Profeſſore deſignato,
Doctore Medico, Præſide.

An minùs ſalubris ad Sudorem uſque, quàm ad Tranſpirationem labor?

I.


QUI vivit laborat : vita eſt indefeſſus labor. Labor quidem Organicus, & Mechanicus, ſed ſui generis, & ſui juris. Laboris actor, inſtitorque operis, ſolidum ; opus tritura ; fructus operis, liquidorum tritus, pulſus, preſſus, extenuatio. Icta ſolidis liquida nonnihil reflectunt ; par fluidorum eſt ſolidorum impulſui reſiſtentia : in hoc

ſitum eſt conſtans & amicabile ſolida inter & liquida æquilibrium, ſumma omnium concordia. Vita in ſolido fundata videtur; hic fons, hoc principium eſt movendi, id motu cietur interiore & ſuo : liquida verò impulſu agitantur externo. Prorſus moventur in corpore fluida, nec quicquam ſupplent, niſi materiem ſummo artificio ac impigro labore expediendam. Quas liquida obeunt variantias, colores induunt, ſapores, varia trituræ unius effecta ſunt. Infinitos machinæ animalis labores & naturæ robur efficax demirare. Si fœtum ſpectes, non-niſi iteratis ictibus, laboribus aſſiduis in quibus ſeſe exercet rudis adhucdum corporis humani machina, circuitionis, quod & vitæ eſt, filum orditur, ac perficit. Grandior factus, & robuſtior in faſtidioſa uteri clauſtra ſævire occipit. Laborem partus ipſe fœtus aggreditur, parentem ſibi adjutricem adigit. Quæ ſæpè invita parturit, nec niſi preſſa doloribus parit. At at quæ lux ipſi orta eſt, quot, & quantos, quamque inſuetos accerſit labores? Excuſſis aquarum jugo & pondere, aëris inconſtantiæ traditur; aliud nempè intùs, & extra temperandum venit æquilibrium. Hinc laborum varietas & continuatio; quales exuperandæ reſiſtentiæ, ut prioris determinationis, & obſequii ſanguis haud immemor, novi & inaſſueti jugi docilis adeò ſit futurus. Neque hîc meta laborum eſt. Quò ætate magis puer creſcit ac viribus, eò ſolidiori cibo vivere aſſueſcat neceſſe eſt. Nova non fit laboris forma; duriora etiam alimenta, uniûs trituræ operâ in tenuiſſimum pollinem ac cremorem abeunt. Neque hujus laboris inſtrumentorum curta ſuppellex. Dentes molæ potentiam æquant; manus habilitatem lingua imitatur, & œſophagus qui contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſuâ comprimit, tranſmittitque ad ventriculum. Magnum torcularium eſt ſtomachus ſeu prælum, quo in ore tuſa alimenta ampliùs, ſed ſimul & ſemel deteruntur. In hujus officii partem veniunt, diaphragma, hepar, lien, pancreas, muſculi abdominis, qui veluti piſtilla totidem, ſuprà, infrà, antè, retrò, à lateribus, ventriculum comprimunt fortiùs aut diverberant, vimque hujus tritoriam, quam quidem non faciunt, plurimùm tamen amplificant. Quæris inſuper num alia corporis pars comminutioni chyli aut lævigationi [redacted] impigrè allaboret? Manifeſti ſunt cordis & arteriarum impulſus. Quin & ipſe aër in pulmones irruens, vehemens piſtillum eſt, & ob pondus & ob elaterem comminuendo chylo accommodatiſſimus. Chylus ergò ab inteſtinorum exitu quâvis in parte tenuatur uſque dum tranſpirando expiraverit. Hoc eſt unum œconomiæ

animalis negotium : hic unus in eo labyrintho labor intùs. Quâvis ratione fiat, vita eſt : æquabilis laboris norma, ſanitas ; inordinata, morbus ; omnimoda ceſſatio, mors.

I I.

HOMO labore naſcitur, creſcit labore. Labor itaque fit homini neceſſarium vitæ ſubſidium, & opera ipſi vita eſt. Vitam primum labore ſuſtentat, poſtea alimento. Cùmque victus, cultus non homini, uti feris, in propatulo ac ſylveſtribus locis ſponte objicitur, ſed domi, ſub tecto accurandus eſſet ; multa alia præter victum, cultum tenuem hominum vitæ acceſſerunt operum incitamenta & laborum. Nonnulla quidem artificia docuit fames ; ſed quàm varia invenere jactatio, mollities, alienæ laudis, & inanis gloriæ cupiditas, concinnæ veſtes & numeroſæ, domus quæ dominum honeſtet ſuum, elegans ac benè ordinata ſupellex, menſa exquiſitis epulis inſtructa, famulitium, equitium, & ſimilia, quorum ratio ſi hæreditate non venerit, quantis laboribus comparentur, quibus ea cordi ſunt, viderint. Hæc tamen vitæ commoda noli ſpernere, nec putare parvi, ſi vis eſſe aliquid, & dicier hic eſt. Sunt etiam animi motus, ſenſus & impetus, quibus vincendis, magno labore opus eſt, explendis verò maximo. Non ideò dices propter neceſſitatem vitæ, idcircò ſolùm eſſe homini laborandum ; integris verò & fortunatis dari omnem omninò laborum immunitatem. Diſſoluta vanitas ! inſidioſiſſimæ blanditiæ ! Quamlibet ſortem ſeu ratio fecerit, ſeu fors objecerit, omnibus officii muneribus propoſita eſt vita noſtra, nec eſt recuſandus labor, nec fugiendum homini præſidium quo ſanitas conſervatur, & à quovis morbo tum imminente, tum gliſcente præſervatur. Et verò corporis humani machina malè feriata ceſſatione torperet, ſpirituum influxus tardaretur, languerent ſolidorum occillationes, malè ſubactus aut impulſus, ſanguis lentè flueret in vaſis, ſpiſſeſceret, hæſitaret ; niſi per laborem & corporis agitationem, humores preſſione ad motum, ſpiritus velocitate ad curſum, ſolida viribus ad luctandum intenderentur. Laboris loco exercitationem ſubſtituere & ſupponere juvat ; utrumque motus eſt corporis humani voluntarius, cum anhelitus acceſſione, ſanitatis tuendæ vel reſtituendæ gratiâ adhibitus. Non minùs motuum agitationumve ludicra exercitatio, quàm quæſtuoſus ac mercenarius labor ſæpiùs impendit.

Imò plùs moderationis & temperationis adhibetur in ſeriis laboribus quàm in jocularibus hujuſmodi exercitationibus, à quibus otioſi homines recedunt, ſatietate minùs affecti, quàm defeſſi. Quis etenim labor ipsâ venatione & ſphæromachiâ moleſtior? Quis operoſior, nocturnis horumce temporum choreis, & ad auroram productâ ſaltatione? Quis, inquam, labor equitandi, digladiandique diſciplinis aſperior? Quis demùm veterum curſu, luctatione, jaculatione agreſtior decerni poteſt? Quæ omnia exercitationum genera inventa ſunt, ut non ſecùs ac labor, corpus moveant imprimis, agitent, ſuccutiant, utque pro laboribus data eſſent homini ceſſanti, inerti & vacuo; adeò labor ipſi ſalubris eſſe ac neceſſarius viſus eſt.

I I I.

CORPORIS humani machina reſolvitur in dies, perit; ſeu ſeceſſus fiat, ſecretio, ac direptio earum partium, quæ anteâ junctione aliquâ tenebantur; ſeu quod ſæpiùs fit, nimiâ ſuâ laboret copiâ; neque plùs adjectione deficientium, quàm redundantium detractione conſervatur. Uſura hujus vitæ fumus eſt & vapor; determinatio liquidorum, non effuſio; extenuatio, non cumulus; tranſitus non accubatio; inclinatio, non ſtatus; fuga, non conventus; expiratio denique, non congeſtio. Quamdiù viget ſolidum, quamdiù occillat, quamdiù peregrinos & hoſpites attrectat humores; tamdiù vivitur. Alimenta ore aſſumpta non perdiù morantur in corpore, non tergiverſantur hùc & illùc; ſed ubique à ſolidis tuſa tritaque, preſſa undique, & undique pulſa, in partes dividuntur, quæ plùs minùs tenues, citiùs, tardiùs, ſeriùs, velociùs, omnes brevi ac tempeſtivè è corpore expelluntur. Hoc ſanitatis argumentum. Magnus ille ac mirabilis vaſorum apparatus, aptiſſima figura, partitio non temerè facta, nervoſa vis elaſtica, conſona pulſatio & æquabilis, eò ſpectant, ut circumagantur liquida, ſecernantur, excernantur. Omnium evacuationum uberrima eſt tranſpiratio; omnia enim confluxilia, & perpaucæ ſunt evacuationes quæ per manifeſtas vias fiunt, præ iis quæ per occultas; certâ divinationis conjecturâ, Medicorum facilè Princeps id judicavit, ſtaticâ ſuâ Sanctorius aſſecutus eſt. Publica hæc eſt evacuatio, univerſalis, continua, naturæ propria. Quidquid aliorſùm erumpit, averſum eſt, deflectit à viâ, minùs naturæ manu mittitur quàm dimittitur. Tran-

ſpiratio ut & quævis alia ſecretio è ſanguinis gremio fit, neque currentis, neque volventis, aut depurgantis ſe ſanguinis, ſed ſolidorum potentiæ liquida impellentis vi perficitur. Ut nutritionis, ſic tranſpirationis materies chylus eſt, qui ſanguini ſemel admixtus, confuſus vehitur, cœcis tantùm cutis ſpiraminibus eliminandus. Succus eſt nutritius, quamdiù turgidulus fluit in vaſis, quamdiù circuitionis jugo addictus eſt, quamdiù materiem comminui expedit; abſolutus verò trituræ operâ & in tenuiſſimum pollinem redactus chylus, & in arctiſſima quæ tum penetrare poteſt vaſa excretoria compellitur; tenues vaneſcit in auras, ſi ad peripheriam fertur; ſi verò ad partium interſtitia & cava, ſubitæ difflationis defectu tenuiſſimæ congeruntur particulæ, fumus fit vaporoſus, quo fibrarum mollities, flexilitas, faciliſque occillatio recreetur. An hæc partium irrigatio in adultis ſaltem & ſanis corporibus, nutritio dici poteſt? an eadem eſt nutritionis & tranſpirationis ratio? Ipſiſſima utique Lympha eſt quæ nutriendo rorat, quæ tranſpirando vaporat; imò alimento non ampliùs opus eſt ubi nullum fit ejus diſpendium. Hinc tenes omnium œconomiæ animalis functionum ſcopum eſſe tranſpirationem. Pax alta ſummaque fluidorum cum ſolidis concordia facili & expeditâ tranſpiratione continetur. Species verò & forma æquilibrii mutatur, omnium occupatio adeſt, inclinatio, impotentia, tumultus, ubi occulta hæc evacuatio paucior eſt, aut deſiderata deeſt, aut intermittitur.

I V.

QUODCUMQUE vivit, ut tranſpirare, ita movere ſe & exercere neceſſum eſt. Quò ſubtilior fit tranſpiratio, eò ſalubrior, eò uberior quò ſub ſenſum cadit minùs. Cave ne tibi ſudor & tranſpiratio ſint unum & idem; totius œconomiæ animalis conſpiratione & concentu habeas tranſpirationem: ſudorem vi, ac renitente naturâ penitùs exprimi concipias. Non igitur ſudore augetur tranſpiratio. Secùs verò ſudorem puta tranſpirationis deceſſum quemdam, & cruditatem eſſe, tritûs defectum & imminutionem. Quæ inter ſudandum evacuatur materia, perdita utrinque eſt, magno nempe ſolidis & fluidis intertrimento. In hoc ab inviſibili tranſpirationis materie maximè diſſimilis, quod ſuccus hîc vaporoſus, puruſve ſit chylus, exactè piſtus omni trituræ operâ, eò ut tranſpirari poſſit à naturâ excultus. Sudor

verò liquor eſt è naturæ ſinu vi extractus, minimè ſubactus, crudus omninò, multo ſero dilutus, aliiſve ſuccis, ad cutis meatus ferri neque idoneis, neque deſtinatis, immixtus. Hinc ſudorè perfuſum corpus languet, doloribus artuum, rigiditatibus, laſſitudinibus vexatur. Objicis, quî fiat ut ſanis corporibus ſudores elici in perniciem queant? Cum diaphoreſes hujuſmodi copioſæ & humidæ, ſint febrium, & inflammationum curatrices; diaphoretica morborum panacea, & ultimum in deſperatis ægris perfugium; denique criſium optima ſit ſudor? hæc populus garrit ſcilicet, hæ medicaſtrorum cantilenæ, promiſſiones auxilii, doloris ſolatia. Dictis habetur fides; adeò quiſque, quâvis in re aliâ dubitans plerumque, & ſibi ipſi diffidens, falli ſe in uno ſalutis negotio facilè patitur. Dubii ſunt ſemper inter ſpem & metum ſudores, naturæ operationem ſubterfugiunt, ſigna coctionis in morbis eſſe non poſſunt nihilque ex ſudoribus judicari poteſt. Qui extorquendis ſudoribus navare operam & ſtudium volunt, ſanguinem incendere hos liquet, & quem ſervare ſatagunt ægrum, læthو dare poſſe. Itaque plerumque in morbis ſudores ſunt ſymptomatici, non moventis naturæ, non excernentis ad criſim, ſed exprimentis morbi, urentis ignis, & ſpaſmodicæ ſolidorum diatheſis effectum qui tum exturbantur humores, ſtimulatarum partium fortuitæ expreſſiones ſunt. Interdum tamen ſudationes cum ægri levamine & morbi fugâ erumpere non diffitemur; ſic diarrhæâ, dyſenteriâ, diabete, ptyaliſmo & hæmorragiâ, graviſſimos aliquando morbos ſolutos eſſe vidimus, idque criticè. Sed quid criſis hujuſmodi, ſeu ſanguinis, ſeu humorum profuſa? Si ſpectes vim nominis, pugna, & judicium eſt; pugna quidem naturæ morbique decretoria, quâ de ægri ſalute decertatur; judicium in quo impetu, perturbatione, tumultu potiùs quàm conſilio, ſerie & ordine cauſa agitur, ægri re neutrò inclinata, ſubitò vel vitæ vel morti adjudicatur. Uno verbo, in criſibus etiam optimis, natura ſui juris non omninò eſt, non pedetentim & ſedato niſu ſuccos propellit; ſed tumultuosè, raptim ac turbulentè, humores ad incernicula ſæpè non ſua diſturbat, determinat, non dirigit. Sudores itaque perinde ac ſupradictæ in morbis evacuationes, etſi quandoque utiles eſſe poſſint, ſemper tamen ab inordinatâ fibrarum occillatione ac deviantibus liquorum directionibus proficiſcuntur. Feliciſſimos dicas Medicos quî copioſiſſimis hiſce evacuationibus merito diffidentes, in ſedando erethiſmo, ac reſtituendâ imprimis tranſpiratione aſ-

ſidui, non magnâ remediorum ſuppellectili abutuntur, neque toti ſunt in curarum ſordibus.

V.

SUDORES profundere quiſque non debet niſi ad ſummum vexatus morbo, ſudare homini benè ſano, inutilis impenſa & jactura eſt. Luxurioſi ſunt & ſuæ valetudinis diſſoluti, quibus ad votum dies eſt actus, ſi benè deſudaverunt; ſi in locum ejus quod effluxit, multum potionis & cibi, jejuno gutture, ingeſſerunt; nimio ſcilicet expleri cibo, & ſudore diffluere, ſimiliter peccare eſt. Utrumque vim naturæ infert, alterum plura ipſi quam coquere ac digerere valeat ingerendo: alterum coctivos utileſque humores detrahendo. Parabile eſt quod natura deſiderat, & expoſitum, ad ſuperflua ſudatur. Sudatus labor aut intempeſtivus eſt, aut nimius. Corporis motus non ſuccorum expirationem facere debet, ſed ſuadere. Mollis quidem, placida & æquabilis eſt quæ liquidorum motum regit potentia; ſed monentem ſe non vexantem auſcultat; miniſtrari ſibi annuit, regi ſe non patitur. Duci vult quò vergit natura; ſenſim & pedetentim progrediens, ad corporis peripheriam ſuccos ultrò excernit minimè conſpicuos. Accelerare gradum ſi jubes, abnuit ſæpe, ſpaſmum concipit, occillat perperam, motuſque promit & niſus inconditos; confusè & permixtè humores diſpergit, quos diſcretè & electè digereret, crudumve exprimens ſuccum quem ſudorem vocant, invita & dolens, madore cutim deturpat, quam ſubtili, ſuaviſſimâque aurâ abſtergeret, recrearet. Itaque neminem juvat exudare laborem, exercitium ſic eligendum eſt aut moderandum, ut tranſpirationem adjuves, laſſitudinem caveas & ſudorem. Non ſit continuus labor, non catenatus, ſed idoneo quietis & otii momento temperatus. Inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Rarioris texturæ corporibus tenui cibo potuque ſpirituoſo utentibus, exercitationes ſint faciles & breves. Ut enim cæteris melius tranſpirant, ſic major ipſis eſt ad ſudandum proclivitas, & promptiſſima, ſi ſudore diffluant, virium reſolutio. Robuſtiſſimi homines, quique viſcoſo & craſſo cibo utuntur, labores & exercitia corporis tutò ſuſtinent. Ne tamen violentos adeò dent corpori motus aut ſudores; aliàs in diuturnas & immedicabiles corporis ærumnas citò citiùs incurrerent, quibus omnes athletas,

ſpe breviùs, affici vidiſſe ſe, teſtatur Galenus. Tandem nobis liceat de pernicie ſudoris vulgo indemnati, æquum tamen ferre judicium Sudor ex ſe res mala eſt & mali ominis, quæ nullo alio fato bona eſſe contigit, niſi quod nonnunquam à majori malo divertat. Quæ verò ſine ſudore eſt tranſpiratio, nunquam non eſt maximè ſalubris.

Ergò minùs ſalubris ad Sudorem uſque, quàm ad Tranſpirationem labor.

Proponebat Pariſiis CAROLUS PAYEN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1735. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.